ILLYRICVM OCCIDENTALE.

LIBER TERTIVS.

I. ILLYRICI NOMEN, SITVS ET INCOLÆ.

ILLYRICVM, inquit [a] Appianus, ferunt ab Illyrio Polyphemi filio nomen accepisse; & Polyphemi Cyclopis ex Galatea filios, Celtam, Illyrium, & Galam profectos è Sicilia, gentibus imperitasse, quæ ab ijs vocatæ Celtæ, Illyrij, & Galli.] Quod ad eius situm terminosque spectat, sic variè à varijs describuntur. [Illyrica dicuntur, teste [b] Strabone, quæ & Istrum & Alpes attingunt, sita inter Italiam & Germaniam, initium ducentia à lacu, qui est apud Vindelicos, Rhætos, atque Heluetios.] [Gentes autem illa incolentes, vt legitur apud [c] Herodianum, terrarum situ angustæ, neque multum agri Romanis subiecti possidentes, hoc ipso conterminos ferme vicinosque faciunt Germanis Italos.] Sed longè arctioribus adhuc limitibus Illyricum circumscribit Plinius, [d] dum ait: [Arsiæ gens Liburnorum iungitur, vsque ad flumen Titium. Pars eius fuere Mentores, Hymani, Encheleæ, Dudini, ad quos Callimachus Peucetias appellat: nunc toto nomine Illyricum vocatur generatim,] Postea tamen ampliores obtinuit: vnde fit, vt septemdecim eius prouinciæ numerentur apud Sextum [e] Rufum, cuius verba sunt: [Prouincias habet Illyricus septem & decem: Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Sauiam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas. Et in diœcesi Macedoniæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Ptæualis & Creta.] Non tamen semper eumdem numerum prouinciarum habuit, sed nunc plures, nunc pauciores, prout Imperatoribus placitum est.

Porro de Gallorum in Illyricum transmigratione hæc tradit [f] Iustinus. [Galli, inquit, abundanti multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant trecenta millia hominum ad sedes nouas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ vrbem Romam captam incendit: & portio Illyricos sinus per strages Barbarorum penetrauit, & in Pannonia consedit. Gens aspera, audax, bellicosa: quæ prima post

a Appian. lib. De rebus Illyrici.
Φασὶ δὲ τὴν χώραν ἐπώνυμον Ιλλυριοῦ, τοῦ Πολυφήμου υἱέος. Πολυφήμῳ γὰρ τῷ Κύκλωπι, καὶ Γαλατείᾳ Κελτὸν καὶ Ιλλυριὸν, καὶ Γάλαν παῖδας ὄντας, ἐξορμῶσαι Σικελίας, καὶ ἄρξαι τῶν δι' αὐτὸν Κελτῶν, Ιλλυριῶν καὶ Γαλατῶν λεγομένων.

b Strabo lib. 7.
Λέγεται δὲ τὰ πρὸς ἕω μὲν τὰ πέραν τοῦ Ρήνου, μέχρι τοῦ Τανάϊδος, καὶ τοῦ στόματος τῆς Μαιώτιδος λίμνης, καὶ ὅσα μεταξὺ τοῦ Αδρίου καὶ τῆς ἀριστερᾶς τῆς Ποντικῆς θαλάττης μερῶν ἀπολαμβάνει πρὸς νότον, μέχρι τῆς Ελλάδος καὶ τῆς Περραιβίας ὁ Ἴστρος.

c Herodian. l. 6.
Τὰ Ιλλυρικὰ δὲ ἔθνη, στενὰ ὄντα καὶ οὐ πολλὴν ἔχοντα τὴν ὑπὸ Ρωμαίοις γῆν, παρὰ τοσοῦτον ὁμόροις καὶ γείτονας ποιεῖ Γερμανοὺς Ἰταλιώτας.

d Plin. l. 3. c. 21.

e Sextus Rufus in Breuiario.

f Iustin. lib. 24.